



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLIII. Quid alia Concilia, vel Pontifices summi de gratia efficaci senserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

voluerint, adimplere. Hæc enim verba vera esse non possunt, nisi auxilium illud quod necessarium est ad consentiendum gratiæ, eaque bene vtendum ad seruanda mandata, sit in hominis potestate, quod esse non potest, si sit physicè prædeterminans. Item illa conditio, si fideliter laborare noluerit, aperte ostendit hominem posse impedire, vel non impedire efficaciam auxilium, quod tamen de prædeterminante dici non potest, & ideo ab eodem Concilio per inspirationem declaratur, dum ait, Ipse nullis præcedentibus bonis meritis, fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramentum fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.

CAPVT XLIII.

Quid alia Concilia, vel Pontifices summi de gratiæ efficaci senserint.

1. **P**ost superiora Concilia vsque ad nostra tempora in cæteris Prouincialibus Conciliis nihil ferè de Gratia traditum est. Nam licet anno Domini 855. Concilium Valentinum Galliæ tempore Benedicti tertij celebratum controuersiam de gratia tetigerit, solum approbat, & sequitur quod in prioribus Conciliis definitum fuerat. Quatenus autem in cap. 2. definit, malos ideo perire, quia boni esse non possunt, & cap. 3. damnat cum Concilio Arausicano dicentes, aliquos esse prædestinatos ad malum, potest eius auctoritas contra prædeterminationem physicam induci. Sed de hoc satis & generaliter dictum cap. 1. expendendo rationes de auxilio sufficienti, & lib. 3. excludendo prædeterminationem ad malum.

2. **Pro nostra ergo sententia solum expendimus doctrinam Concilij Senonensis, de cuius auctoritate in Prolegom. 6. dixi. Illud ergo Concilium in decretis fidei, cap. 15. multa docet quæ ad presentem causam multum referunt, & ideo accuratè expendenda sunt. Nam quædam sunt verba quæ nostram sententiam aperte docere, alia verò quibus physicam prædeterminationem omnino refellere videtur. Priora verba huiusmodi sunt. Neque liberum arbitrium asserentes diuinam excludimus propterea gratiam, quod illi, (id est, Nouatores) falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perfringere, sed iuxta Scripturam sacram eo extendimus, vt voluntas humana misericordia præuenientis auxilij suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contracta sese conuertant in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam sese preparat, qua tandem accepta sit ad vitam eternam. In quibus verbis in primis aduertimus, non loqui Concilium solum de gratia, qua voluntas humana se potest conuertere, sed de gratia, qua se conuertit, & ad sanctificantem gratiam præparat, ait enim hoc extendi libertatem humanæ voluntatis, vt afflatu diuinæ inspirationis contracta sese conuertat in Deum, &c. non ergo tantum vt possit, sed etiam vt sese conuertat. Per inspirationis autem afflatum, seu contactum, certè non intelligit prædeterminationem, sed quod Scriptura illis verbis solet significare, & quod Concilium Tridentinum dixit, Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem. Ista ergo inspiratio ex parte præuenientis gratiæ sufficit iuxta Senonense Concilium, vt voluntatis libertas ad conuersionem in Deum extendatur, & consequenter, vt talis inspiratio effectum suum consequatur, ac subinde sit efficax. Neque illud Concilium agnouit alium præuenientem motionem distinctam ab inspiratione, quæ inter contractum eius, & conuersionem necessaria sit.**

In sequentibus autem verbis talem prædeterminationem excludere videtur. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cenabit cum illo. Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. In quibus verbis multa sunt, quæ sententiam nostram plurimum confirmant. Vltima verò planè videtur contradictoria assertioni, physicæ prædeterminationis. Nam qui illum astruunt, consequenter fatentur, non magis posse voluntatem humanam resistere auxilio prædeterminanti, quàm voluntati diuinæ absoluerè, & efficaciter volenti, quia hæc voluntas in illo auxilio virtute continetur ita affirmat Bannez. 1. p. 1. q. 14. art. 13. §. Secundo est notandum. Davila cap. 10. & 27. Alvarez. in cap. 10. 11. a. & de Auxiliis disput. 93. Verba autem Concilij Senonensis contradictoria omnino sunt, vt ex terminis constat.

Huic testimonio ex his verbis variè dantur euationes, quas expendere necesse est. Præma est Concilium Senonense loqui de auxilio efficaci oblato à Deo, non autem de auxilio efficaci recepto in ipso arbitrio, ita P. Alvarez dicta p. 93. ad 1. in finem. 4. & dicit explicationem colligi ex ipso contextu. Nam loca, (inquit,) Scriptura adducta à Concilio gloriunt ipsum loqui de auxilio efficaci oblato, cui resistere licet. Hæc verò responsio refutatur primò, quia inuoluit contradictionem in eadem doctrina: nam si auxilium efficax est physicè prædeterminans, relinquitur, vel omnino negatur ex parte Dei, cui aliquid non datur, & ideo nunquam ita datur, vt resisti possit, vel potius vt possit obex poni ex parte hominis infusioni eius, vt in superioribus latè probauimus, non solum ex principiis ipsius doctrinæ, sed etiam testimoniis auctorum eius, & in particulari eiusdem Alvarez, qui constanter negat posse dari ex parte hominis dispositionem liberam ad hoc auxilium, tam negatiuam, quam positiuam. Ex quo euidenter sequitur non posse hominem ponere obicem huic auxilio, cum ex libera eius dispositione non pendeat, ergo etiam repugnat, hoc auxilium offerri, cui non datur.

Vnde quod ad hos attinet, libenter admittemus interpretationem Concilij, si vera esset. Quia si auxilium efficax tale est, vt verè possit offerri ex parte Dei, & impediri ex parte hominis, euidenter sequitur non esse auxilium prædeterminans. Ergo quicumque ratione dicat Concilium Senonense posse hominem resistere auxilio efficaci, siue ne introducatur in hominem, siue ne introductum opereatur, operemur inferitur non esse prædeterminans. Addimus verò interpretationem esse contra Concilij contextum; nam prius ait quod voluntas humana misericordia præuenientis auxilio suffulta, & interiori inspiratiu afflatu contracta liberè sese conuertit. Hoc autem non facit voluntas per auxilium oblatum, sed per auxilium datum, nec dici potest suffulta, & contracta, donec in se aliquid recipiat, & tamen de illa sic afflata præbentis Dei auxilium, vt resisti possit, ergo loquitur de auxilio non tantum oblato, sed recepto. Probatur sententia, tum ex contextu, & consequentiis sermonis, tum quia alias probatio esset æquiuoca, & inutilis. Nec testimonia Scripturæ, quæ Concilio adducuntur de resistentia, quæ sit gratiæ oblata, sed de illa quæ facta est Iudæis auxiliis sibi collatis De illis autem illis loquebatur Christus cum dicebat Matthe. 23. Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluerunt, propinqua autem, Ierusalem, Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Per quos nimirum Deus vocauerat eam, & non solum obtulerat, sed etiam contulerat auxilia, quibus conuerteretur, si vel.

resellent. Et eodem modo loquitur Stephanus A-
 thor 7. dicens, Vos semper Spiritui sancto resistitis, quæ
 testimonia Concilium asserit.

Respondentibus opinor, resistisse Iudæos suffi-
 cientibus auxilijs collatis, & efficaci oblato. Sed
 responsio supponit, efficaciam auxilium esse distin-
 ctum à præueniente, cui resisti potest, quod tamen
 est contra doctrinam illius Concilij, expressè enim
 dicit illudmet auxilium præueniens quo homo
 conuertitur in Deum, tale esse vt ei resisti possit, &
 ideo conuersionem esse liberam; ergo etiam respec-
 tu auxilij efficacis requirit ad libertatem actus res-
 sistendi potestatem. Imò, vt supra circa Concilium
 Tridentinum notauimus, vt ratio Concilij sit efficax,
 & non sit ex puris particularibus, necesse est, vt lo-
 quatur de omni auxilio præueniente necessario ad
 efficaciam auxilij, alioqui non rectè probaret actum
 esse liberum, quia vni auxilio præuenienti potest
 homo resistere, si alteri non possit resistere. Vnde
 cum singulariter loquatur de auxilio præueniente,
 vel sentit esse vnum tantum, vel collectiue loqui-
 tur de toto auxilio præueniente, ac trahente, ac de
 illo etiam quando actu operatur, dicit posse homi-
 nem illi resistere, etiam quando illi non resistit. Vnde
 de consequenter etiam sentit, illud idem auxilium,
 cui homo resistit, de se esse efficacem, & futurum fuisse
 efficacem, si homo voluisset, seu si per eum non ste-
 tisset. Et propterea optimè inducit illa testimonia,
 vt ex eo quod homini imputatur, quando auxi-
 lium manet inefficax, inferat, etiam quando est
 efficax posse hominem illi resistere, quia nimirum
 idem omnino auxilium præueniens est, cui homo
 interdum resistit, interdum vero non resistit, licet
 possit. Neque in alio sensu potest tota illa doctrina
 firma, & solida inueniri. Quod verbis sequentibus
 optimè confirmat, dicens, Frustra Paulus Thesaloni-
 censes admoneret spiritum ne exstinguere si diuini inspira-
 tionibus homines inuitabiliter raperentur, quæ ratio vim
 habet in prædeterminatione, quia respectu illius
 frustranea esset talis admonitio, quia inuitabiliter
 illum rapier, magis autem esset vana respectu eius,
 cui non datur, quia esset de re sibi impossibili. Non
 agnoscit ergo Concilium tale genus rapientis auxi-
 lij, nec aliud præueniens agnoscit, nisi diuinas in-
 spirationes quæ sine inuitabili raptu efficaces esse
 possunt. Vnde subiungit idem Concilium. Trahit
 quidem Deus, utique efficaciter, sed in eius odorem curri-
 mus, non vi, non vincti rapimur. Certè non potest vo-
 luntas maiori vi raptari, quam physica prædeter-
 minatione; nec potest cogitari motio, cui metapho-
 ra vincti magis accommodetur. Satis ergo aperte do-
 cet illud Concilium Deum inspirationibus trahere
 homines; non alio auxilio, quod instat vincti eos rap-
 iat, ita vt resistere non possint.

Alter responderet idem Auctor distinguens in illo
 auxilio entitatem eius à ratione instrumenti primæ
 causæ: nam priori ratione ait, est causa particula-
 ris, & ei resisti potest; posteriori autem modo con-
 tinet in se intentionem voluntatis diuinæ, quæ est
 causa vniuersalis omnium entium, & vt sic ei resisti
 non potest. Dicit ergo Concilium loqui de illo au-
 xilio sub priori ratione, non sub posteriori: hoc au-
 tem solum ex eo colligit, quod aliàs assertio esset
 falsa, quia si illo auxilio posteriori modo spectato,
 resisti posset, voluntati Dei posset resisti, quod fal-
 sum est. Sed non est hæc probabilior euasio. Primò
 ad hominem repugnat propriæ doctrinæ; docent
 enim illi Auctores auxilium esse per se efficacem, & ex
 vi suæ entitatis, & naturæ voluntatem ad exercitiū
 physicè determinare, ergo fateri debent, tale esse il-
 lud auxilium, etiam in sua entitate præcisè confi-
 deratum, vt illi non possit humana voluntas resiste-
 re. Item aiunt, entitatem illius auxilij non subordi-
 nari, nec subesse dominio voluntatis creatæ, sed

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

potius illam sibi subiacere ex vi suæ entitatis, ergo
 non est in voluntate potestatis affecta illa entitate
 talis auxilij vt, vel non vt, sed potius auxilium
 semper illa vtitur, ita vt voluntas in hoc non possit
 ei resistere. Item aiunt frequentissimè implicare
 contradictionem, entitatem illius auxilij coniungi
 cum carentia actus, seu effectus eius ad id autem
 quod implicat, nulla est potentia, ergo non est in
 voluntate potestas coniungendi carentiam cum il-
 lo auxilio, vel cum entitate eius præcisè spectata,
 ergo nec est potestas resistendi illi entitati.

Dicent fortasse entitatem illam prodire semper
 à voluntate Dei absoluta & non posse aliter fieri, &
 inde prouenire, vt implicet coniungi cum carentia
 actus, ac proinde illam impotentiam resistendi nō
 esse solum respectu entitatis auxilij, sed prouenire
 à voluntate Dei. Sed in hoc etiam æquiuocatio co-
 mitti videtur, quia duæ voluntates Dei absolute ibi
 distinguendæ sunt, vna est voluntas faciendi in hu-
 mana voluntate entitatem talis auxilij, alia est vo-
 luntas absoluta, quod homo conuertatur: nā cum
 conuersio actualis, & auxilium ad illam in re sint
 distinctæ entitates, vt supponitur, etiam potest vo-
 luntas diuina in ordine ad illas secundum rationē
 distingui. Quamuis ergo illa entitas auxilij non
 possit esse in rerum natura sine voluntate Dei ab-
 soluta dandi illam, quia est causa efficiens eius vni-
 ca: nihilominus si talis entitas per se non est talis,
 vt ei voluntas humana resistere non possit, produ-
 cere poterit illam Deus ex sola ista voluntate abso-
 luta de actu conuersionis hominis, quia hæc volun-
 tas non est per se causa efficiens illius entitatis, nec
 repugnat fieri ex alia intentione diuina, pro illius
 libertate. Neque in se habet vnde repugnet separari
 à tali conuersione, neque id recipit ex illa sola vo-
 luntate diuina, per quam fit, quia ex vi illius solam
 entitatem intrinsecam recipit. Hoc autem dicitur
 esse impossibile in illa sententia.

Vnde aiunt entitatem illius auxilij necessariò
 procedere à voluntate Dei, quæ vult ipsam hominis
 conuersionem. Ergo in hoc necessariò supponunt,
 entitatem illam talem esse, vt ex vi suæ essentia, &
 proprietatis habeat ita determinare voluntatem
 humanam, vt habeat inenitabilem connexionem
 cum actuali eius consensu. Non ergo habet illa en-
 titas talem efficientiam, quia subest voluntati Dei
 de consensu voluntatis creatæ, sed potius ideo vo-
 lendo Deus talem entitatem; necessariò vult effica-
 ciam illam consensus, quia est intrinseca, & insepa-
 rabilis à tali entitate. Tandem ita hoc declaro, quia
 vel illa entitas de se, & natura sua habet, quod sit in-
 strumentum absolutæ voluntatis Dei de actu vo-
 luntatis hominis, vel solum id habet ab extrinseco
 ex arbitrio Dei; hoc posterius dici non potest in illa
 sententia, tum quia aliàs posset poni in re illa enti-
 tas, & non assumi, vt tale instrumentum, tum etiā,
 quia quærendum statim erit, quid addat Deus illi
 entitati, volendo illa vt, vt tali instrumento; nam
 si nihil addit, impertinens est illa entitas, quia sine
 illa posset Deus vt in inspiratione, vt instrumento ad
 talem effectum, & vt vna inspiratione, & non alia,
 pro suo arbitrio. Si verò illa entitas natura sua ha-
 bet innatam, & inseparabilem illam rationem in-
 strumentum, inutilis est distinctio, quia in entitate il-
 lius auxilij præcisè spectata includitur essentialiter
 ratio instrumenti, & ita non potest illi resisti magis
 sub vna ratione, quam sub alia.

Secundò hinc facile ostenditur alienam esse ex-
 positionem à mente dicti Concilij. Primò, quia
 non est verisimile Concilium cogitasse de distin-
 ctione obscurissima, & quæ vix possit intelligi, mi-
 nùsque credibile est ex illa pendere concordiam li-
 bertatis cum auxilio efficaci gratiæ, & veritatem il-
 lius propositionis, quod homo possit illi resistere, &

Instantia.

Soluitur.

9. Alia instan-
 tia.

Retorque-
 tur.

10. Concilij ex-
 plicatio, re-
 uocatur.

& quoddam Concilium tam absolute, & sine distinctione affirmauerit posse voluntatem illi auxilio resistere. Secundò & maximè, quia Concilium expresse loquitur de illo auxilio, vt est virtus, seu instrumentum Dei ad trahendam voluntatem. Hoc aperte probamus ex illis verbis. *Interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contracta, & ex illis. Nec tamen tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, &c.* auxilium enim quo Deus nos trahit, instrumentum Dei est, vnde cum à Concilio consideretur, vt per illud nos Deus trahit, euidenter loquitur de illo vt instrumento Dei. Item infra eodem modo considerat diuinas inspirationes, quando dicit, *non rapere nos inuitabiliter*, ac denique metaphorà vni apertissimè declarat, & sermonem esse de auxilio, vt instrumento Dei, & Deum non rapere nos suo auxilio, neque vt illo vt tali instrumento, quo veluti vincoraptemur. Tertio per illam distinctionem destruitur doctrina Concilij, nam quacumque ratione non possit resisti illi auxilio, tollitur libertas actus, si enim illi entitati secundum se spectatæ resistere non possemus, non esset consensus noster liber; ergo si illi vt instrumento Dei resistere non possumus, consensus non erit liber. Probatur consequentia, quia quod ad nos attinet, tanta necessitas nobis infertur vno modo, sicut alio: quod autem ex parte agentis hoc vel illo modo fiat, nihil ad nostram libertatem refert, vt in primo Prolegomeno latè ostensum est. Et confirmatur, quia illa entitas non habet rationem diuini auxilij, nisi quatenus per voluntatem Dei datur; ergo si illi vt subest voluntati resistere non possumus, simpliciter auxilio diuino resistere non possumus, cuius contrarium simpliciter, & sine addito, vel declaratione docuit illud Concilium.

11. Addunt ergo tertiam explicationem, dicentes, *vel potest explicari Concilium de resistentia in generali quadam acceptione, quatenus posse resistere, est idem, quod velle dissentire, si velit, vt loquitur sanctum Concilium Tridentinum.* Per quæ verba videntur velle huc etiam applicare explicationem de sensu diuiso. At profectò si liceret hoc pacto Concilia interpretari, nihil certi in illorum definitionibus, ac doctrinis haberemus: Quoties enim aliquis sentiret verba Concilij contraria ei opinioni, cui ipse affectus est, posset ad libitum verba ad impropium sensum detorquere, vel significationem nouam, & communiter non vitata illis effingere. Certè si hoc licitum est, frustra Augustinus ex vi, & proprietate nominis *Adiutoris*, quo Deum inuocamus. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*, Psal. 78. colligit etiam nos aliquid agere. Nam si nihil agis, inquit, quomodo iuuaris. tract. 4. in 1. epist. Ioan. & sermone 13. de verb. Apostoli, imò vniuersa Ecclesia ex proprietate verborum, *Hoc est corpus meum*, colligit realem præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Et simili modo ex proprietate verborum, quibus idem Christus Deus, & homo dicitur in Scriptura veritatem mysterij Incarnationis, secundum substantialem vniionem duarum naturarum comprobauit. Et in vniuersum hæc regula interpretandi Scripturam, vt à proprietate verborum sine auctoritate certa, vel ratione cogente non recedamus. Quæ in Conciliorum interpretatione seruanda est, præsertim quando doctrinam tradunt contra hæreticos, tunc enim summa industria omnem sermonis improprietatem, & ambiguitatem vitare student, ne hæreticis occasionem tergiversandi, & eludendi doctrinam relinquant, quoad fieri possit.

2. Pal. 78.

Scripturam interpretandi regula.

12.

Nullo ergo modo admittenda est illa interpretatio, quæ à proprietate verbi *resistendi* recedit. Quid enim quæso est *resistentia in generali quadam acceptione*? Aut quis vnquam intellexit verbum *resistendi* habe-

re locum vbi non est oppositio, seu contraria motio? Resistencia ergo intrinsecè inuoluit compositionem contrariæ motionis, & ideo interpretari potestatem resistendi in sensu diuiso perinde est, ac dicere, illam non esse potentiam resistendi, sed cessandi ab opere, si morio alias cesset. Vnde rectè argumentatur vir ingeniosus à simili ex verbis Pauli Roman. 4. *Vbi non est lex, nec prauaricatio*; nam quia prauaricatio includit compositionem cum lege cui opponitur, optime concludit, vbi est prauaricatio, supponi legem, & cessante lege non habere locum prauaricationem. Ita ergo resistentia intrinsecè dicit compositionem cum opposita motione, & ideo si liberum arbitrium dicitur posse resistere auxilio gratiæ, supponitur auxilium mouens arbitrium: autem non potest impedire opus auxilij, nisi prius auferatur auxilium, illud non est posse resistere, destruitur ergo sententia Concilij, cum sensus diuinus in ea cogitur. Quod à fortiori probant omnia dicta in simili de Concilio Tridentino, nam verbi *resistendi* euidentius facit sensum compositum, & idem sensus æquè necessarius in presenti est, vt sententia Concilij sit hæreticis contraria, & vt ex illa potestate resistendi rectè à libertatis vfum inferat, vt satis in cap. explicatum est.

Hinc tandem Ledesina art. 13. ad 5. fatetur auxilium efficax non esse tale vt inuitabiliter inferat actum, nam auxilia, inquit, *qua inuitabiliter actum inferrent, tollerent libertatem, quia non relinquunt in potentia potestatem, qua possit actus vitare.* Et de talibus auxiliis inquit, loquitur Concilium Senonense. Vnde consequenter ait, ex auxilio efficaci actum sequi infallibiliter, non inuitabiliter; quia cum moueat potentiam & prædeterminet illam, iuxta naturam, & conditionem voluntatis liberæ, semper manet potentia virtus, & potestas ad actum vitandum, si vult. Et ad hoc suadendum adducit communem doctrinam distinguentem inter illos duos terminos, & asserentem contra Caietanum effectus liberos, & contingentes respectu diuinæ voluntatis, venire infallibiliter, non inuitabiliter, quia infallibilitas respicit scientiam, a neuitabilitas dicit ordinem ad causas secundas, quæ si voluntate nequeunt inquit, effectus productionem, ad illam necessitantur. Vnde licet expresse non dicat posse hominem resistere auxilio efficaci, id aperte sentire videtur, tum quia per illam doctrinam vult satisfecisse Concilio Senonensi, vt ipsemet declarat, tum etiam, quia si effectus non est inuitabilis supposito auxilio, ergo potest liberum arbitrium illud euitare, ergo potest impedire, ergo potest auxilio resistere.

Hæc verò responsio in primis non potest Concilio satisfacere, tum quia manifestè loquitur de potentia resistendi, quæ respectu eius auxilij potest in actum reduci, vt patet ex testimonijs Scripturæ, quæ adducit, tum etiam, quia non agnoscit auxilium præueniens, nisi diuinas inspirationes, quibus immediate coniungi dicit consentium, vel dissentium & tamen respectu illarum ponit resistendi potentiam, non respectu alterius auxilij prædeterminantis, imò sentit non dari, quia illi resistere non posset, quia esset veluti vnus voluntatem raptans. Deinde illa responsio, vt supra latè ostendi, destruit propriam sententiam, nam si auxilium tale est, vt implicet contradictionem, cum illo componi carentiam actus, quomodo actus ille est euitabilis supposito auxilio, nam euitabilitas dicit possibilitatem carentiæ actus non obstante auxilio, quæ possibilitas fundari debet in potestate vitandi actum in sensu composito, & stante auxilio: vitare autem non est aliud quàm carere illo, ergo includit potestatem carenti actui, coniungendo illam carentiam cum tali auxilio. Quæ autem potentia potest

potest esse ad id, quod implicat contradictionem. Præterea distinctio illa inter infallibile, & inevitabile optima est, si infallibilitas solum dicat habitudinem ad scientiam intentam veritatem futuræ effectus in seipſa; si autem oriatur ex causa, involuit repugnantiam, nam talis inevitabilitas fundatur in inevitabilitate effectus à tali causa. At verò effectus auxilij efficacis dicitur esse infallibilis ex vi auxilij secundum se spectati, vti est causa talis effectus, ergo repugnat dicere, effectum sic infallibilem non esse inevitabilem respectu talis auxilij. Et ideo Davila in suo libro sæpe dicit, hoc auxilium mouere voluntatem infallibiliter, & inevitabiliter, & Cabezudo dixit infallibiliter, & immutabiliter, quod perinde est. qui certè magis consequenter loquuntur, tamen nimis apertè contradicunt Concilio Senonensi, & id admittunt, quod directè videtur contrarium libertati, E contrario verò Ledesma timescit hunc lapsum, à propria sententia inuitus recedere.

17.
Declarat.

Et declaratur ampliùs ad hominem, nam idem Auctor art. 2. ad §. circa finem ait, auxilium prædeterminans applicare voluntatē ad operandum, & omnino non subordinari ipsi potentia etiam quoad exercitium actus tenet se ex parte primæ causæ, nam est motio, quæ mediante Deo mouet potentiam, & ideo non subordinatur illi. Ex quo euidenter infertur voluntatem non habere vllam potestatem supra tale auxilium, vt illud impediatur ab exercitio sui actus: nam illa duo sunt correlatiua disquiperantiæ, scilicet, subesse alteri, & hoc illi præesse, ergo ablato vno, aufertur aliud; si ergo auxilium non subordinatur potentia voluntatis quoad exercitium actus, nec voluntas habet potestatem, quia illi præsit, (vt sic dicam), vel possit impedire exercitium sui actus; ergo non habet potestatem vitandi talem actum. Ergo repugnant illa duo, scilicet, auxilium non subordinari potentia, & potentiam posse vitare actum, flante auxilio. Quòd si fortè dicat hanc potentiam vitandi talem actum esse tantum in sensu diuino, videmus ad priora absurda, & tantum verbis ludimus. Quia hæc potestas non tollit, quin auxilium simul datum inuitabiliter actum inferat: nulla enim esse potest motio adeò necessitans quin in sensu diuino relinquatur potestatem vitandi actum, vel potius carenti illo: quia reuera posse carere actu, oblato auxilio, non est posse vitare illum, quandoquidem nec potest vitare, quin habeat auxilium per intrinsecam potestatem moralem, sed solum potest illo carere ex voluntate extrinseca Dei, nec illo auxilio posito potest vitare, quin actus sequatur. Nullam ergo subterfugium linquitur, quo hæc definitio Concilij Senonensis eludi, aut vitari posse videatur.

16. *Obiectio ex*
Cacilio 8c.
Joaneni.
Widetur.
 17.
 Contra nos verò obijci solet ex eodem Concilio
 Senonensi, quia de bonis operibus dicit, *In quibus &*
liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen &
principalis gratia, & vt Pelagium condemnat,
 non solum eum, qui negat necessitatem gratiæ, sed
 etiam qui primatum illi denegat. Sed hæc quid
 contra nos? qui id totis viribus, & omni veritate,
 & proprietate defendimus, cum eadem proprietate
 libertatem seruantes, & declarantes quod alij in
 hac posteriori parte non præstant, & ideo potius
 eisdem verbis perstringi possunt.

Obijunt etiam nobis Concilium Moguntin.
cap. 7. in quo nihil inuenimus, nisi quod Concilium
Araucanum, & Tridentinum docuerunt, scilicet,
initium iustificationis esse ex gratia, & per gratiam
nos excitari, & adiuuari, vt consentiendo, & coope-
rando ad iustificationem disponamur. Quæ omnia
nos constanter docemus, idemque quod verbis
Concilij Senonensis proxime respondemus, de il-
lis dicere possumus. Et quæ in Concilio Tridentino

& aliis expendimus, in hoc ponderari possunt, quia tantum ponit gratiam excitantem, per quam solus Deus operatur in nobis, & adiuvantem qua nobiscum operatur, & nos illi liberè cooperamur: aliam verò prædeterminantem gratiam nec agnoscit, nec indicat.

Denique obicitur nobis testimonium aliquod
sub nomine Concilij Colon. quod reuera Con-
cilij non est, sed enchiridium quoddam non magne
auctoritatis, vt in Prologomen. 6. cap. 22. in fine di-
ximus, & ideo necessarium nobis non esset ad illud
respondere, etiam si aliquo nobis contradicere
videretur. Re tamen vera nihil habet contrarium,
imò sæpe dicit in hominis voluntate esse vt gra-
tiam sibi oblatam vel recipiat, vel repudiet, & præ-
uenientem gratiâ acceptare, vel abicere, & similia
nostræ sententiæ consentanea. Neque ibi aliam
gratiam operantem, vel præuenientem insinuat,
præter diuinâ inspirationes, & illuminationes.
Nihil ergo illi Enchiридиōi respondere necesse est.
Vtile verò confeco explicare quandam distinctionē
auxilij præuenientis, quâ ibi tradit, tum quia esse
potest vsui, tum etiam, quia posset aliquis ad præ-
determinans auxilium illam appl. care. Nam quoddam
dicitur esse, quia Deus præuenit peccatorem, vt resurgat, alia
quia peccator præuenit Deo assensientem resurgit. Vnde
prior cogitari potest esse auxilium præueniens suf-
ficiens, posterior verò auxilium efficax prædeter-
minans, quia dat non tantum posse, sed etiam con-
sentire. Et ideo hæc posterior vocatur ibi *insufficiens*
et alia, quia infallibiliter perrhat ad illam.

19. Alia datur circa gratiā praeuenientem, ex actibus, & proximis effectibus, ad quos gratia praeueniens datur. Vna enim datur ad actus, qui remotè disponunt ad istam, alia ad actum, qui est vltima dispositio, & prior dicitur dari peccatori vt resurgat, posterior verò quādo iam resurgit. Vnde vtraq; ex his gratiis potest esse sufficiens, & efficax, neutra verò est physice prae-determinans voluntatem. Nam de priori gratia ibi dicitur resistere in motu cogitationis sanctae, & affectionis, vel timoris, & ex illa sepe oriri bonos actus, liberos, & supernaturales disponētes aliquo modo ad iustificatiōē, inter quos actus ponitur actus fidei, vel attritionis. Est ergo gratia praeueniens, non tantum sufficiens, sed etiam efficax ad suum proximum effectum propter quem datur, licet non semper sit efficax ad effectum iustificatiōis vltimè intentum. Sicut vocatio ad fidem qua homo de facto conuertitur ab infidelitate, licet non conuertatur ad poenitentiam aliorum peccatorum, vocatio efficax est in suo gradu, licet non sit ex omni parte perfecta, nec efficax quoad omnia ad iustificatiōem necessaria. Vnde in illo effectū inuenitur libera determinatio voluntatis, quae ab ipsa fit cum cooperante gratia, & non à sola praeueniente, quod in eodem libro §. Ergo cum peccator, infinituatur cum dicitur, Interim nos ante iustificatiōem nihil facimus, nisi quoddam bonis inspirationibus Dei non repugnamus, sed assentimus.

Alia vero gr̃tia pr̃ueniens dicitur dari homi-
ni resurgenti à peccato, quia datur immediate ad
dispositionem vltimam que simul tempore est cum
iustificacione ipsa. Et hæc etiam gr̃tia pr̃ueniens homini re-
confsistit in diuinis excitacionibus, per illuminatione-
nem, & inspirationem Spiritus sancti, quibus ho-
mo immediate inducitur, & eleuatur ad vltimam
dispositionem, atque ideo ad ipsam iustitiã, vt
ibidem §. *Hanc autem gratiam*, latè expōnitur, vnde
hec etiam gr̃tia pr̃ueniens potest interdum tan-
tum esse sufficiens, interdum vero etiam efficax,
cooperante ipsi libera voluntate, eadem gr̃tia pr̃-

uenta, & adiuta. Et hoc est, quod ibi significatur cū dicitur: Ita totum Deo recte adscribitur qui voluntatem nostrā quam creando nobis impertit, gratia sua praeuenit, excitat torpescientem, ut lapsū suū norit, postea corrigit nolentem, ut resurgere velit, postremo adiuuat voluntatem, ut resurgere possit, & sic salus nostra Dei gratuitum est donum. Hæc autem motio, & excitatio, quæ datur, ut immediate efficiat, ultimam dispositionem ad gratiam, actū non iustificat hominem, nisi quando actū obtinet à voluntate hominis talem consensum, & ideo tunc solum potest illam determinationem gratiæ iustificantis recipere, iustificantis scilicet, non formaliter, sed suo modo effectiue, & dispositiue. Ad hanc autē efficientiam, vel denominationem non est necesse, ut habeat ex se, & natura sua suam vim prædeterminandi physicē voluntatem, sed satis est ut secundum propositum Dei in ea opportunitate conferatur, in qua prænotatur effectum habitura: neque aliud ex illo Enchiridio colligi posset, etiam si eius auctoritas admittenda esset.

41.

Præter Concilia desiderare potest Lector, ut alia decreta Ecclesiastica à summis Pontificibus de hac materia edita expendamus. Si quis autem legat attentē, quæ de doctrina pontificum in hac materia diximus Prologomen. 9. cap. 1. facile intelliget, nihil hic nobis addendum superesse quia ipsi in suis Decretalibus solum confirmant Africana Concilia, vel eandem doctrinam tradunt, quā illa, & Araucanicum Concilium docuerunt, & ideo quæ de his Concilijs diximus, decretis Pontificijs intelligi debent. Docent enim necessitatem gratiæ contra Pelagium, illique tribuunt salutis initium contra Semipelagianos, de auxilio autem prædeterminante ne verbum insinuant. Quod maxime intelligere liceat ex epistola Cælestini, ubi summam omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinet continetur, referuntur ex Innocentio Papa, & Africanis Concilijs, & aliquid additur ex Zosimo Papa, quod in eius decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba, Profundiores verò, difficilioreque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt. Cū ergo in superioribus regulis nihil de gratia prædeterminante doceatur, recte ex his ultimis verbis concludimus ad expugnandos Pelagianos, & Semipelagianos, & ad totam gratiæ necessitatem tuendam, illam non esse necessariam, ac proinde cum aliunde videatur libertati repugnare, non esse admittendam. Propter hæc igitur plura de his epistolis Pontificum dicere non est visum necessarium, neque etiam pro nobis aliud speciale argumentum ex eis sumimus, præter negatiuum, quia sine auxilio prædeterminante sufficientem gratiæ doctrinam nobis tradiderunt, & Pelagianos, & Semipelagianos confutarunt, quod in hoc puncto, ut saepe ostendi, magnum est argumentum. Aliqua verò quæ nonnulli Pontifices, non ut Pontifices, sed ut Scriptores, vel Doctores Ecclesiastici tradiderunt, in sequenti capite proponuntur. Ad Patres igitur veniamus.

CAPUT XLIV.

Ex Patribus Augustino antiquioribus physica prædeterminatio reſt. l. 1. & 2. cap. 1. & 2. cario congrua comprobatur.

UT veritatem lucidius ostendamus, & Lectoris fastidium leuemus, in tres classes Patres, à quibus argumentum sumimus, distinguimus. In prima ponimus eos, qui vel Augustinum præceſſerunt, vel vique ad eius tempora vixerunt, & ab eo doctrinam eius de gratia vix legere potuerunt. In secunda solum Augustinum ipsum constitimus, tanquam præcipuum gratiæ Dei propugnatorem. In tertia ponimus subſequentes Patres, qui Augustinum imitati sunt.

Quod ad primi ordinis Scriptores spectat, qui ut dixi, ferè nullus eorum præter Hieronymum de diuina gratia ex professo disputant, non sunt ab eis testimonia expressa expectanda, sed tantum aliqua generalia principia, ex quibus per necessarias, vel multum probabiles illationes eorum sententia colligi valeat. Huiusmodi autem principia duo esse censemus. Vnum est quod efficacia præuenientis gratiæ morali modo explicent sine physica seu efficaci prædeterminatione: aliud est quod ad libertatem requirunt intrinsecam potestatem proximam sese flexendi ad vtrumque, cui repugnans necessitas prædeterminationis ab extrinseco præuenientis, ut in lib. 3. cap. 43. allegauimus, & statim aliam addamus, qui etiam in operibus gratiæ necessariam existimant eandem potestatem proximam ad vtriusque partem. Ac proinde volunt in nostra potestate esse vti, vel non vti gratia, quæ à Deo præuenitur, quod repugnat physica prædeterminationi, ut defensores eius fatentur.

Primo igitur ex Patribus Græcis adduco Chrysostomum homil. 19. in Genes. dicentem. Quia liberi arbitrij esse nostram naturam fecit Deus, ipse quidem quæ sunt, per suam misericordiam semper exhibet, & sicut abscondita, & profunda, mentis arcana hortatur, consilium conatusque nostros malos reprimat, & necessitatem vique non imponit. Quomodo autem necessitatem non imponat declarans, subiungit. Sed congruum remedium appositum, totum iacere in agrotantis sententia, dimittit. Quod non video quæ veritate dici possit, si ex parte Dei concursus gratiæ necessarius, non cum indifferentia offerretur, sed in vnam partem prorsus voluntatem hominis determinaret. Et ideo indicat Deum suadendo, & vocando congrua ponere remedia iuxta infinitam præscientiam suam, Vnde Homil. 22. sic inquit. Quia in nostra potestate totum post gratiam relictum est, ideo peccantibus supplicia propiunt, & bene operantibus retributiones. Vbi valde notanda est particula post gratiam, tum ad explicandam mentem Chrysostomi in alijs locis, quæ mox referemus, quia manifestè loquitur de gratia præueniente, & constituente voluntatem in actu primo: tum etiam, quia sub illa gratia comprehendit omnem gratiam quouis modo antecedentem consensum voluntatis, ut ex prioribus locis, & ex ipso contextu manifestum est, & illa statim dicit, totum relinqui in potestate voluntatis, non quia voluntas non indigeat concursu Dei ad ultimam consensum, sed quia illum habet ad vtramque partem paratum, & solum expectatur cooperatio eius, ac si præcederet gratia prædeterminans, illa profecto non relinqueret totum in nostra potestate, quam ad vnum inuitabiliter flexeret. Et simili modo dixit idem Chrysostomus Homil. 9. in